



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pro Calendario Gregoriano Disputatio Apologetica

**Busaeus, Johannes
Roest, Petrus**

Mogvntiæ, Anno 1585

Calendarij receptione non periclitari libertatem Euangelicam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43749

eliquauit victoria, Vt vt sit, superiori collatione circumcissionis & Calendarij, huius quoq; testimonij fabrica deijcitur, cum vtiq; & Pseudoapostoli apud Galatas, & B. Petrus apud Antiochenos eadem chorda aberrauerint, hoc est, ritus Iudaicos persuaferint ad iustitiam & salutem obrinendam esse necessarios, illi quidem peruerso simul exemplo & corrupta doctrina, hic vero malo tantū exemplo, sine vlla sententiæ vel sanæ doctrinæ corruptela, conuenienter verbis Apostoli, dum ait eum non rectè ambulasse *l. de præscrip. & l. 4. cont. Marcion.* ad veritatem Euangelij. Vnde acutè colligit doctissimus Tertullianus peccatum Petri non doctrinæ aut prædicationis, sed conuersationis tantum & conuictus fuisse.

LXIX. Quæ cum ita sint, perspicue intelligitur articulum iustificationis, nō magis Calendarij Ecclesiastica lege impetrati, quam legum ciuiliū obseruatione periclitari, cum eadem causa sit, cur legibus ciuilibus Imperatoris, & Ecclesiasticis summi Pontificis pareamus: vel certè cur Catholici Calendariū à summo Pontifice correctum promulgatumq; sine vlla tergiuersatione receperint, & Lutherani cum Tubingensibus thes. 102. absq; omni tergiuersatione idem ab Imperatore ordinibusq; sacri Imperij promulgatum recipere sint parati.

Calendarij receptione non periclitari libertatem Euangelicam.

LXX. At premet Disputator. *De libertate saltem Christiana ætæm videri, si legibus Pontificijs iterum detur locus. Orationem autem B. Pauli, contra Pseudoapostolos Galatarum pro libertate Christiana pugnantem esse generalem. Libertate inquit, qua nos Christus liberavit, stete: & nolite iterum iugo seruitutis subijci, Et rursus. Vos enim in libertatem vocati estis fratres.*

LXXI. Respondeo Apostoli Pauli orationem non posse esse tam generalem, vt libertatem Christianam omni prorsus seruitute liberet, cum ipse alibi non semel scribat filios parentum, seruos dominorum, vxores virorum, subditos Principum & Magistratum ciuiliū, omnes vero homines Dei opt. Max. legibus & iussis secundum conscientiam obnoxios esse. Quare & in epist. ad Galatas nobis obiecta, verba illa sua liberiora (*Vos in*

1. ep. c. 2

libertatem vocati estis fratres (statim sic astrinxit, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem, omnis enim lex in vno sermone impletur, Et D. Petrus hortatur Christianos vt omni creaturæ subiecti sint, ne libertate ad tegendam malitiam abuti videantur. Quasi liberi, inquit, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.

L X X I I. In hunc sane legum numerum libertatem Christianam quasi fræno retinentium, ne in licentiam transeat carnalem, leges Ecclesiasticæ quoque referendæ sunt. Sicut enim politicæ vel Cæsareis edictis coercetur libertas carnis, ne se in immunditiam, adulteria, rixas, homicidia, effundat, sic Ecclesiasticis vel Pontificijs decretis eadem libertas carnis cohibetur, ne in sectas, veneficia, hæreses, schismata proruat. Hæc enim vitia omnia in eodem capite inter manifesta opera vel fructus carnis numerantur, cum libertate Christiana pugnantes.

L X X I I I. Itaq; ex eiusdem Apostoli, diuinarumq; scripturarum doctrina intelligi debet, libertatis Christianæ beneficio à triplici duntaxat seruitute nos esse vindicatos. Primo à seruitute longe turpissima & durissima, peccati mortis & æternæ damnationis, de qua in ep. ad Romanos sic scripsit. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Cum enim serui essetis peccati, libere fuistis iustitiæ.* Et rursum, *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis* Secundo à seruitute omnium legum diuinarum & humanarum, quatenus cogunt & imperant, quia lex spiritus, hoc est, gratia Euangelica effecit in nobis, vt non timore poenarum, sed spiritu à moris; non coacti, sed lubentes, atq; si latæ cum imperio non essent, eas perficeremus. Quo respexit hic Paulus, cum dixit. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege,* Et alibi *Lex in isto non est posita, sed iniustus & non subditus.* Postremo à seruitute circumcisionis aliarumq; legum Iudaicarum intolerabiliū. de quibus in primis Apostolo cum Galatis earum legum necessitatem vrgentibus disputationem fuisse, ex scopo totius epistolæ Patrumq; veterum commentarijs manifestum est.

2. Tim. 11.

III. PROBATIO TVBING.

L X X I I I I. Veniamus ad quartam probationem, natura & definitio